

ILLVSTRISSIMO NOBILISSIMOQVE VIRO

CLAVDIO LE DOVLX,

DOMINO DE MELLEVILLE, &c.

ET IN SVPREMA GALLIARVM CVRIA SENATORI INTEGERRIMO.

ANDREAS GVYET S. P.

*SI tuum in Medicinâ patrocinium & auſpicium ambio (*Vir Ampliſſime*) ſique te in ipſo Themidis Sacrario iis intentum curis rebuſque diſtractum, quæ diuino Numini mortales conciliant, adire non pertimeſco: fecit profectò me ita confidentem generis neceſsitudo, quâ me tibi eſſe coniunctum fauſtè contigit: nec non ſecundum tui Nominis omen, quod eò mihi felicius auſpicaturum eſſe confiſus ſum, quo ipſis etiam nominibus vim quandam occultam & bene ominantem à natura inditam fuiſſe veteres autumarunt; à quibus tamen mihi videor ipſe in eo diſſentire: quod dum ad tutelaris cuiuſdam Numinis aras confugiebant, terrore & metu fortunatum ſibi quidpiam auſpicantibus, omen quærere & ſperare compellerentur: Ego verò omne meum in te patrocinium conſtituam hac Suauitate allectus, quam non minus ingenio, doctrinâ, virtute & moribus expreſſam eſſe omnes ſuſpiciunt, quàm tuo nomine, ſtemmate, vultu denique ipſo non temerè ſignificatam eſſe venerantur. Hanc ſi igitur (*Vir Nobiliſſime*) Artes & Scientiæ in ſui præſidium exoptent; quid mirum? parem enim à te videntur gratiam repoſcere, vt quæ hac ipſa comitate, qua tuum animum diligenter excoluerunt, excipi & admitti velint. Iube itaque medicinam in me rudem & incultam hac tuâ ſuauitate excoli & manſueſcere, hancque meo in capite periclitantem, tuo præſidio eſſe ſecuram; ego autem tali nomine & omine lætus, hoc mei in te obſequij votiuum appendam. Quod ſi de tuis tholis non refigas, vt mihi ipſa tui nominis ſuauitas pollicetur, Te habebo in eiuſmodi Deorum numero, quos non (vt aiebat quiſquis ille veterum) timor fecit, ſed quibus beneficiorum virtutumque ſuauitas debitum honorem conciliauit.* Vale.

QVÆSTIO MEDICA

CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA

IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XXVI. FEBRVARII,

M. IACOBO MANTEL Doctore Medico moderatore.

An Gemelli Mente & Corpore minus validi ? 9''

QVALI-NAM lege Natura constet in homine mirum est: quæ dum ad Æternitatis vota properat, & præcipuo plus satis indulget operi, sibimetipsi imponere, ac in præstantiore sui parte, propagandi generis ambitione, id videtur deterere. Mixturam cum Sapientia facit infelicem πολυτοκία. Animantium scilicet aliorum propria est, adeóq. ipsis apprimè vtilis atq. necessaria. quorum genus cum innata comitetur infirmitas, nec rarus ipsum populetur interitus; breui sanè corrueret, absq. illa esset Non omnib. vnum quod placet; & aliò hæc ipsa feruntur, homines aliò. Hinc licet vtrisq. par sit ortus & exitus: Cœlo, nihilominus toto differunt, sortis suæ ratione. Horum quemq. tenent Fata, pro structuræ suæ apparatu ac designatione: nec Animus valet sponte in Gemellis se gerere.

SVBSTRVENDIS liberorum (qui & in vsum boni sint, vt Comicus ait, & in speciem populo) fundamentis, læta & salûbris positio materiæ conuenientis requiritur; vt & qui eleganter ædificet, non Ædificator: quô vniuerso genitali pomœrio membrorum modus aptetur, ac numerus. Nunquam non malè successit locum vnà plurib. assignasse, quem æquum est singulis addicere. Vterus est naturæ fundus gratissimus; cuius meritum hinc vel maximè obseruare incumbit: neq. opertis (quod dicitur) oculis bona sua computando, Apodixim consectari. Nactus est ille fundum æquabile nullisq. sinubus interstinctum aut septo dispertitum; vt mammas illis respondere non censeas. An igitur in liberis vno vtero continendis, quod Natura non expectat ex transuerso fit, ac super hos ita primùm Fortuna negotium curat?

PLERAQ. cum luto semini communia sunt: Nam vt eius ad proba fictilia densitas opus est, & partium inter se mollis cohærentia: sic & illius ad hominem feliciter & præclarè moliendum. Sua cuiusq. tenuitas & nomine quôuis impotentia, res creant Opifici, ac in illo potissimùm Naturæ diuidias; quæ humano in opere summam affectat non numerum. Illi cupido velle dat, posse abnegat. Hinc tam plenum erroribus videas Orbem istum; vt penè faciliùs Monstrum possis inuenire quàm virum. Quot vetulos Trimalcionis aut Domitiani pueros, Salaputios, Vrucas stupidos, Laruasq. potiùs quàm homines? Quot Longos, Mutilatos, Strabones, Mutos, Nasicas, Alatos, Valgos, Varos: quot denique Scauros ac similis generis: sequioris & illa quidem Sexus infrequentiùs, quàm virilis; nisi παρεκβάσεως etiam in ipso Naturam insimules. Quæ, vt communis eiusdem Parentis ludibria malíq. ominis, quemadmodum ille, sapienter abhorreas. Nec eò hæc Regio multò beatior est Ægypto. vbicumq. νεῖλος vt ἥλιος: Et quod mage miserum est, vitijs corporis attinetur animus vt fulturis sustinetur. Nec rarò ridiculum corpus habet animam parem; vniusq. deformitas nescio quo fato, videtur decertare cum turpitudine alterius.

QVI Naturâ repugnante, & aliud quasi meditante suscipiuntur, vix aut ne vix sanè, bonæ tam frugi possunt esse; quin inuitâ (quod aiunt) ex Minerua designentur, Ac Geminorum seu Fœtuum vnà vtero dispunctorum Parentum semine diducto bifariam conceptóq., & eâdem vt plurimùm die nascentium, hæc est calamitas: Homo quippe Vnigena non Multigena constitutus, multijugam illam fœturam haud impunè protollit: siue suis ipsa numeris absoluatur siue deficiat, dum superiniectâ priori iam adultæ nimirum aliâ, (Græci vocant Ἐπικύησιν) præcipitem habet intempestiuitatem & abortionem sui parte nec meritam experitur: quas humano in genere monstrosas raritates appellare licet vtiq. probè.

EXLEGIS istiusmodi Fœcunditatis, miseræ Matri fastidia damnaq. non leuia inferentis opportunitati refragatur insuper vteri Positus & Figura: per quæ solùm vnitati esse litatum liquet: ita quidem vt conceptum in ipsómet coagulum suâ præsentiâ beet statim rationalis Anima, fœtum ingenerans ac subinde efformans, bis quinos aliquando menses, imò plures illo arctè complectendum ac vnicè confouendum. Nec tot equidem ac tantis tum corporis tum animi muniis rite vacaturo Homini conueniebat, vt vires ibi consistentes, éq. reliquo Parentis corpore conuasandæ, dispergerentur; ac in duo ipsæ præmodum & iejunè abirent, quas vni penè dicam sufficere. quo planè debilia atq. manca vtrobiq. ea existere necesse esset. Nam vt TA ἡμιτελῆ τῶν ἔργων, ἀπραξίας σημαίνει πλέον: Ita nihil heroïcæ mentis, aut præcellentis fabricæ corporis in his vnquam miraberis.

Ergo Gemelli mente & corpore minus validi.

Proponebat Lutetiæ ANDREAS GVYET Parisinus. A. R. S. H. M. DC. XLIII.

Bygi